

Z d
1950





Q. K. 134, 45r

42

Ka

Z d
1950

HENRICI MATTHIÆ SPIELBERGII

Pastoris Edlaviens: ac Sieglizienf:

CONFUTATIO

ENTHUSIASMI
CRASSISSIMI,

ab Orco Revocati,

Per

DN. EMANUEL: PHILIPP:
PARIS

Diaconum Ecclesiae Ref: Hartzgerodanae

1710.



VIRO JUVENI
GENEROSISSIMO DOMINO
NICOLAO ERNE-
STO à PLATEN

Haereditario de Demertia, Belzig, Rotenfee,
Schierstedt, cetera

præsens hoc schediasma in animi devincti tesferam
cum voto omnigenæ felicitatis & succesus
studiorum.

D. D. D.



Auctor



Cedro profecto dignum est oraculum dulcissimi Seruatoris nostri, Dei fatu ab æterno editi, quod Mysta *Φερόμενος ὑπὸ πνεύματος ἁγίου* Matthæus decimo habet capite:

Estote prudentes, sicut serpentes. Apostolorum alloquitur senatum illustrissimum ad præconium Evangelii nuper vocatum, non nescius, quantis periculis Antistites hi tum propter ortum *ψέυδο Χριστῶν & ψευδοπροφητῶν*, qui daturi *σημεῖα μεγάλα* matth. 24. Tum propter veritatem Evangelii propagandam sint exponendi. Mittebantur enim, ceu oves inter lupos rapaces, ac proinde prudentia ipsis singularissima erat opus, ne vel per falsa *φανόμενα*, quæ jactitaturi erant falsi doctores, à veritatis evangelicæ tramite dejicerentur; vel externo periculo pressi, eam abnegarent. *Φρονίμως* ergo Christus eos vult, quasi Providentes, qui non in præsentia tantum oculos defigere, verum præsentibus futura annectere debent. Prudentia in Ethicis audit Habitus agendi ea, quæ homini bonæ sunt, & salutaria, ac versatur *περὶ τὰ πρακτικὰ καὶ ἐυλαβήσια*, quæ omnem *δεινότητα* & astutiam excludit, dum hominem manuducit *ἔς ad se ipsum*, ut propriam salutem; *ἔς ad alios* ut aliorum etiã quærat. Utrumq; requirit Numen sanctissimum ab Apostolis, & hodie ab iis, qui

qui hōrum vestigia legunt, verbi divini præconibus. Utinam idem observasset Diaconus Harzgerod. Ecclesiæ Dn: Emanuel Philipp: Paris, uon certe se ipsum falsa ἐπιφάνεια seduxisset, aliosq; ad credendum inducere laborasset, dum ἀνοος ferme & imprudenter, trina vice Christum ipsi apparuisse, delirat, ac, ut inauditur, coram Dicafterio B. πῖζ καὶ λάζ? defendit. Non nostri quidem erat propositi, rem vel ex umbone templi, aut alibi scriptis tangere, secuturi Paulum, qui eos, qui foras sunt, non iudicat, visionista enim non in omnibus ἰσάμιον ἡμῖν πῖς in 2. Petr. 1. amplectitur; verum dum vel simplicissimi quiq; auditorum meorum rem mirum quantum arripiebat, & ad huc ubivis toto quasi die in ore hominum versatur, necessitas, quid? quod! honor Dei efflagitavit, ut falso crepata hæc ἐπιφάνεια fede dejiceretur. Rem itaq; ipsam sum adgressurus, cum persona, quae quidem fama, προσώπω minime nota, mihi nihil intercedit. Nec studio Ἰῆς ἀνθολκῆς sed ἀληθείας zelo quicquid agitur, ago, & consulto, quidem lingua latina, taedio enim est λεπτολογίας vernacula reddere notiores. Probatum itaq; paucissimis dabo, clauso scripturæ S. canone nullas divinas visiones, quæ faciant ad fidei, vitæq; regulam, esse expectandas aut statuendas, & venditam hanc visionem pro divinâ, fuisse diabolicam. Numen sanctissimum sit nobiscum, & ducat nos in veritate, verbum enim ejus est veritas.

SEC-

SECTIO PRIMA

Syllogismus universalis.

Q. Canonem Scripturæ sacrae infringit, ejusq; perfectionem labefactat: & ita Enthufiasmum reducit: à Scriptura fâcra rejectum, illud non est statuendum, aut expectandum.

Vifiones jactitatae Canonem Script. S. infringunt ejusq; perfectionem labefactant: Enthufiasmum reducunt: & à Scriptura S. rejectae E. non sunt statuendae vel expectandae.

De quibus fingulis pauca.

§. I. Modum argumentandi consulto fequor Aristotelicum, prifcis dudum probatum, nec ipsis fcriptoribus facris incognitum. Nec me fugit, artem hanc dialecticam à Fanaticis olim fastiditam esse, & adhuc hodie à recentioribus quibusdam allatrari, his tamen non obstantibus signum ea ob fingularem argumentandi evidentiam femper sustulit, ac à facrarum literarum interpretibus insigni cum fructu retinetur: Quorum vestigia fequor, & ita argumentor:

Gasfend: T.
l. de Theol.
orig: p. 34.
Danhauer:
Polemo-
foph. p. 44.

Q. Canonem S. codicis obfignatum infringit, ejusq; perfectionem labefactat, illud non est statuendum.

Vifiones novae Canonem S. Codicis obfignatum infringunt ejusq; perfectionem labefactant, E. Non sunt statuendae.

ἐκθεσις.

Præmisarum ratio & connectio satis clara est, eo enim

enim, quod scripturae S. canon est obfignatus, est perfectus & quia perfectus est, ideo est obfignatus. Perfecto itaq; & obfignato aliquid addere, quid est aliud? nisi lutum auro, tenebras soli affundere. Canon Mathematicis alias est Mensura in fallibilis, quæ nullam additionem & detractionem admittit, atqui Scriptura S. est canon Gal. 6. 16. Phil. 3. 16. E. Nullam additionem vel detractionem admittit. Canonem autem S. S. esse obfignatum, præter fanaticos, negat nemo, qui proinde revelationes divinas, quae faciant vel ad fidei vel vitae regulam, expectant, errant. Theologi Canonem obfignatum probant ex Apoc. 22. v. 18. seqq; collato cum Joh. 20. v. 30. 31. ubi notetur, verba sunt Beati D. Neumanni in Apodixi Antifan:

a Dicentis persona, quae utrobique Johannes, Evangelista & Apostolus est. Hic & ultimus Evangelistarum & Apostolorum fuit, adeoque reliquis omnibus mortuis superstes vixit, centenario major, unde Patriarcha N. T. dictus est. Hic denique toti corpori biblico colophonem fulmineam comminatione obfignatum posuit. Etsi enim Apocalypsin ante Evangelium exaratam constet: Cum illa A. C. 96. in Patmo: Hoc vero A. C. 104. sub finem vitae conscriptum fuerit, tamen utrobique clausula adjecta est, certo judicio, his libris velut ultimis canonem Scripturae S. fuisse obfignatum, ipsumq; Johannem quendam fuisse criticum in colligendis, digerendis & ordinandis libris N. T. Ex quibus sic colligo:

Post quoscunq; libros Johannes ultimus Evangelista

starum et Apostolorum promittit Christi adventum
& vitam æternam, cum illis ipsis clausus & obfignatus
est SS. canon, consequenter Nullæ visiones denuo
statuendae.

Atqui post Evangelium & Apocalypsin Johan-
nes promittit ea apoc. 22. 20. Joh. 20. 31. E. clausus
SS. canon est nec visiones denuo statuendae.

(B) Observetur scopus Johannis. Clausula illa de
non subtrahendo vel addendo non ad Apocalypsin
tantum, sed universam Scripturam pertinet, quo
corruptores futuros Scripturae ab additione vel di-
minutione terreret. Ab anno enim 181. usq; 212. hostes
Deitatis Christi vixerunt, in primis Artemon & Theo-
dorus Coriarius, horum discipuli Asclepiodorus &
Theodorus Trapezita ex professio SSam propriis mani-
bus palam corrupuerunt. Eadem clausula legitur Deut.

Euseb: l. 5. c.
17.

4. 2. Cap. 12. 32. adeo, ut inter proverbia sapientum
relata fuerit prov. 30. 6. Hinc Paulinus in concilio
For: julienſi inquit: Johannes Apostolus sub unius
libri apellatione de tota utriusq; serie Testamenti
contestatus est. Exinde hoc formatur argumentum:

Dorsch. in
Pentadec.
disp. 10. p.
333.

Q. Post editum de futuro Ecclesiae statu vaticinium
cum additionem tum imminutionem plane re-
spuit, ille quoq; revelationes & visiones post hinc
vel editas, vel edendas, quæ sint fidei, vitæq;
regula, rejecit.

Atqui Johannes Apostolus post editum de futuro
Ecclesiae statu vaticinium tum additionem tum
imminutionem plane respuit E. Quoq; revelatio-
nes & visiones etc. rejecit. qui

Baron.adA. Transeo scopum singularem Johannis Evangelii
 C. 99. n. 5 qui erat furores Ebionis & Cerynthi confutare, vi-
 Dorſch l.c de Dorſch. l. c. cujus argumentum contra Pontifi-
 cios noſtrum faciamus, paulo mutatum

Ex quo principio fides de Jeſu, Filii Dei divinitate
 & officio mediatorio ita ſufficiens acquiri poteſt
 contra haereticos, ut illa vita æterna absq; novis
 viſionibus impetretur, illud eſt ſufficiens & per-
 ſectum principium cognoscendi & meſurandi ar-
 ticulos verae fidei & religionis.

Atqui ex Scriptura S. ceu principio informante & reve-
 lante fides de Jeſu Filii Dei divinitate & officio
 mediatorio ita ſufficiens acquiri poteſt contra hæ-
 reticos, ut illâ vita æterna absq; novis viſionibus
 impetretur Joh. 5. 39. E.

Scriptura S. ſufficiens & perfectum principium cog-
 noſcendi, & meſurandi articulos verae fidei &
 religionis eſt, conſequenter nullæ viſiones hodie
 vel expectandæ vel ſtatuendæ. Ulterius ex textu
 ceu pulcherrimo dialogiſmo ſponſæ & Chriſti ar-
 gumentor:

Q. Eccleſia in teſtificatione & autoritate divina ſic
 requieſcit, ut nihil amplius anhelet, & expectet,
 quam glorioſum Chriſti adventum &, quae per
 hunc acquiſita eſt vitam æterram, illa obſigna-
 tum habet SS. canonem, nec viſiones ulterius
 expectat,

Atqui Eccleſia in teſtificatione & auctoritate divina
 ſic requieſcit etc. E. Obſignatum habet canonem
 nec viſiones ulterius expectat, Sed

Sed de perfectione Scripturæ quædam specialiora tradere erit necessitas, quo novarum visionum patroni eo melius vincantur. Perfectum dupliciter dici, notum est, (1) absolute, (2) secundum quid. Priori modo perfectum dicitur, cui nulla perfectio deest. Hac ratione Scriptura non dicitur perfecta, dubium enim non est, quin non omnes prophetiæ, non omnes conciones Christi & Apostolorum, nec omnia miracula in ea sint consignata Joh. 21. v. 25. Posteriori autem modo dicitur aliquid perfectum, quod sufficiens est ad finem aliquem obtinendum, & hoc modo Scriptura est perfecta, nempe in ordine ad finem suum considerata, qui est æterna salus. vid. B. Bechmannum, qui probationis causa adducit oracula ψ . 19. 8. 2. Tim. 3. 16. Gal. 1. 8. Joh. 5. 39. quibus Pontificiorum traditiones refutat. Pari successu nos ista oracula Visionistis opponimus. Excipit forsitan Visionista, perfectionem Scripturæ teste infringens. Etiam jam ante accessionem N. T. perfectum fuisse canonem Sacræ S. & tamen divina providentia eundem fuisse auctum: & Perfectionem objectivam & substantialem concedimus, quantitativam vero, & extensivam, quæ ad complementum totius canonis pertinebat, negamus. vid. B. D. Neumann dissert. de Seculo maj. Rev. p. 23. Brevitatis ergo ita colligo.

2. regula fidei ad quam remittimur, debet esse perfecta, aliàs nequidem est regula,

B

Atqui

Bechman.
Annot. in
hutt. p. 34.

Atqui Scriptura S. prout a Johanne relinquebatur, est regula fidei E.

Debet esse perfecta, si perfecta, nullæ visiones expectandæ. Denique in adductis supra oraculis animadvertimus exclusionem novarum revelationum Cerynthi qui subprætextu revelationum portentosa dogmata in Ecclesiam invehebat. Adversus quem Johannes Evangelium suum imprimis direxit, ne revelationibus falsis pateret locus, inde ad Scripturas revocat quemvis credentem, ingressi enim erant falsi Apostoli, qui mysteria & relationes jactabant apoc. 2. 22. prophetisa jesabel Apoc. 2. 20. c. 17. 1. 2. ab his impostoribus Johannes revocat fideles. Proinde ratiocinor.

Enfeb. l. 3. c. 28.

Q non est scriptum literis canonicis, illud non est divinum.

Revelationes & visiones hodiernæ non sunt scriptæ literis canonicis E. Non sunt divinæ. iterum ex anathemate divinissimo Johannis ita concludo:

Q apponit aliquid SSæ Canonis, illi omnia plagarum apocalypseos genera destinata sunt,

Atqui, qui visiones jactat, apponit aliquid S. canonis E.

in epist. ad Assentitur his Ignatius. Quicumque dixerit Heron: *Βεζ quippiam* *ἡ δὲ τῆς ἰαγυ βρα*, præter ea, quæ ordinata bel. Antiqu. sunt, tametsi fide dignus sit, quamvis jejunet, quamvis in virginitate degat, quamvis signa edat, quamvis prophetet, pro lupo illum habeas, qui ovina pelle exitium pestemque adfert ovibus. §. 2. jam

§. 2. jam ad alterum probandi argumentum pro-
gredior

Q. Enthufiasmum ceu colluviem ethnica- &
fanaticarum opinionum reducit, illud non est
statuendum,

Novæ visiones Enthufiasmum, ceu colleuviem e-
thnicarum & fanaticarum opinionum redu-
cunt. E.

Non sunt statuendæ.

ἔνθεσις

Enthufiasmus ampliffimum sæpe significatum
obtinet, ut morbos etiam non nullos enthufiasmōs
dici obfervet Joh. Gorraeus in defin: med: nec non
ἔνθεσιαστικὸν dicitur, quicquid vulgi eruditionem exce-
dit. Alias Enthufiasmus formaliter afflatum divi-
num, materialiter vim, per afflatum divinum com-
municatam significat. Distinguitur in *verum*, quem
prophetæ & Apostoli fenserunt, & *apparentem*, qui
iterum est vel *fictus* vel *præsumtus*. Hoc posterius en-
thufiasmi genus dat homines fanaticos, qui afflatum,
revelationes, & inspirationes dei vel fingunt, vel
præsumunt, & vel Diabolicas, vel melancholicas,
vel voluntarias illusiones & imaginationes, vocando
divinas revelationes, se aliosque decipiunt. Vox
ἔνθεσιασμος platonica est originis, ex cujus schola
Aristoteles eam sumfit, quam Philo primus ad
θεοπνευσίαν Scriptorum sacrorum accommodavit, apud
70. interpret: nunquam legitur, licet Aquila in in-
terpretatione Sophoniaῖ ἔνθεσιαζομένῃ vocabulum
B 2 usur-

usurpaverit. Discrimen ulterius faciunt Enthusiasmi scriptores inter *Crassum*, qui furori similis est, & *Subtilem* ac *temperatum*. Utrumque reperias apud Platonem, *Crassum* in jone ex orphica disciplina haustum, *Subtilem*, passim. vid. celeberrimi D. Loefcheri disp. de Enth: Platonico.

Ceterum abunde constat, Ethnicorum cultum pro anima quasi Enthusiasmum habuisse. Hecatem appellabant βακχεύουσαι, furorem in animis excitantem: Bacchum & Nymphas μαϊνίδες & autores ενθουσιασως. De administris Orphicorum sacrorum, qui Curetes, Cabiri, Corybantes dicuntur, res in aprico est, eos crassiori Enthusiasmo operam dedisse, hinc Strabo l. 10. Geogr. eos appellat ἀπαισας ενθουσιασως.

Maxime omnium notatu dignum est principium Enthusiasticæ cognitionis, quod Φῶς Lux vocatur. Nam ut luce visus, ita illo Enthusiasmus opus habet, ex quo omnes suas visiones Enthusiasticæ hauserunt. Plotinus l. 3. Enn. 5. φῶς ἐν ψυχῇ λαμπρόμενον ἀληθινὴ ἐφώτισεν. in Zoroastrinis memorabile est dictum χεῖρ σε σπέυδειν πρὸς τὸ Φῶς, καὶ πρὸς αὐγὰς. cap. 9. Jamblichius *lumen* a diis descendens: Paracelsistæ *lumen naturæ*: Cordanus, *Lucidum circum*: Helmontius junior. *lumen penetrantem* vocat. Hæc propterea hic paulo fusius adduco, ut visionista noster videat *lucidum ignem*, ad quem visione 1. et 2. provocat, ab ethnicorum & fanaticorum luce non abhorrere, & glaucoma Diaboli fuisse, quemadmodum infra probabimus enthasias paria cum visionista delirassee. Proinde fumo terminos; O.

- O. error Ethnicorum in & per se est damnabilis,
 O. Enthufiasmus hodierno feculo est error E-
 thnicorum E.
 O. Enthufiasmus hodierno feculo in & per se est
 damnabilis.

Ulterius!

Q. in & per se est damnabile, illud est diabo-
 licum.

Enthufiasmus est in & per se damnabilis E.
 est diabolicus.

Ulterius.

- N. cultus *ἀνοος* Deo, auctori gratiæ est acceptus,
 O. Enthufiasmus nostro feculo est *ἀνοος* E.
 N. Enthufiasmus nostro feculo, Deo, auctori
 gratiæ, est acceptus.

Majorem probo ex Rom. 12. 1. ^{ἡ λογικὴ λατρεία} Vas illud e-
 lectum Paulus vult ^{λογικὴν λατρείαν} rationalem cultum,
 quem cultui sacrificiorum leviticorum opponit. In V.
 T. offerebantur sacrificia de brutis mortuis ceremo-
 nialem sanctitatem habentibus. Sed in N. T. offe-
 renda sunt Deo propria piorum corpora, & quidem
 viventia, quæ non modo vitam naturalem sed inpri-
 mis spiritualem habent, & internam a Spiritu S.
 descendente vid. Gerhard. Exeg. thes. 476. Ex
 quo tamen cum Photinianis non concludendum est
 ac si iudicium de aliquo fidei capite petendum sit ex
 ratione, ratio hic non est principium sed instru-
 mentum.

2) Ex I. petr. 22. ubi Doctrina Evangelii vocatur λογική, quod Calvinus explicat de affectibus vitæ Spiritualis: Cornelius à Lap. de Sinceritate: Clemens Alex: l. 1. pæd.: c. 6. de Christo. Estius de Eucharistia, quia olim statim infantibus à baptismo lac dabatur. Melius intelligitur Evangelii doctrina, quam λογική, ratione effecti vocat, quia homines prudentes efficit Psal: 19. 9.

Minorem ex genio Enthusiasmi confirmo, in revelationibus enim istis nulla adhibetur ratio. Notum est in Patria mea Quedlinburgi cum ancillae ibi ante aliquot annos visiones & revelationes jactitarent, eas abs omni ratione fuisse, interrogata enim aliquando ancilla vaticinans, quid Doctor N. ageret: respondisse fertur:

Er sis in Himmel / und sickt Schub. Vix melioris surfuris Enthusiasmus Valentinianorum erat citante Irenæo l. 1. c. 18. Verba, quibus hi in sacris utebantur, erant barbara: Basynca Eacabasa Canaa, iraurista, dyarbada cartaba camelanthi: quibus simplicioribus stuporem injicere conabantur, Bebel: Ant. Evan: 374.

Restat, ut Enthiasmum ulterius demonstrarem colluivem fanaticarum opinionum, sed tædet, crambem sæpius decoctam, denuo apponere. Brevitatis causa provoco ad inductionem totius historiae Ecclesiasticæ. adde, si placet, Quenst: Syst. p. 1. p. 48. ubi & Zwinglium leges, qui ex peculiari revelatione sibi innotuisse vult per Spiritum Sanctum, Voculam

Eft

Est in verbis coenæ positam esse pro *significat*. Neminem nostrum fugit, quos motus moverint neovisionistæ in Ecclesia, eos omnes tamen falsos demonstravit exitus. Quid Simmersfeldiæ in ducatu Württenb: cum Pastoris Baderi filia actum sit, quæ falso visiones jactitavit ex Innoc: Relat: Unschuldigen Nachrichten 1703. p. 416. constat. Necto itaque terminos

Q. hominem reddit irrationalem, ac nil nisi motus & turbas creat, illud fugiendum, Novæ visiones enthusiasticæ hoc faciunt E.

§. 3. Ad tertiam denique probandi rationem me cingo.

Q. Scriptura S. sæpius est rejectum, illud hodie minime statuendum, vel expectandum, Novæ visiones sæpius à Scriptura S. rejectæ sunt E.

Hodie minime sunt statuendæ vel expectandæ

ἐκθεσις.

Majorem nullus Christianorum negabit qui Θεοπνευσίας Scripturæ S. agnoscit, ac pro norma fidei vitæque corde sincero amplectitur ψ. 119.

Minorem corroboro

(a) Ex Col. 2. 18. καὶ ἀβραβεύειν nil aliud notat, quam brabeo defraudare, præmium abjudicare, atque eripere merenti, in capiendo brabeo aliquem circumvenire, atque hæc, quæ Colossensibus intercepti poterat palma, vitæ æterna est, exposita certantibus ut βραβεῖον philip. 3. 14. Modus intervertendi erat

erat *Angelolatria*, damnata à Synodo Laodicena, & *revelationes & secreta Angelorum commercia*, quæ nomine *occultæ idololatriæ* detestatur canon. 35 Syn. Laod: Non oportet Christianos relicta Dei Ecclesia abire, & Angelos nominare, vel congregationes facere, quæ sunt prohibita. Si quis ergo inventus fuerit *huic occultæ idololatriæ* vacare, sit anathema. Montanistas hoc canone tangi, ex Can: 8. patet. jam vero Montanum plurimum sibi cum asseclis auctoritatis visionum & prophetiarum jactantia conciliasse, quis nescit? Euseb. l. 5. c. 3. Duas enim mulierculas, Maximillam & Priscillam, habuit comites, & adulterino spiritu repletas, adeo, ut ipsæ quoque quædam importuna atque aliena loquerentur. Nec indoctam tantum plebem istud hominum genus fascinabat, sed ipsum Tertullianum, doctissimum virum, qui ipse l. 3. de Anima ait: Soror apud nos revelationum charismata fortita, conversatur cum Angelis, *aliquando cum Domino*, conf. B. D. Neumann: disput. in dict: cit: §. 21.

Colligo itaque

Q. animæ periculum & exitium affert, illud est diabolicum

Revelationes & Visiones novæ afferunt animæ periculum & exitium E.

(C) Ex 2. Petr. 1. 19. Firmiorem habemus sermonem propheticum. Ubi notandus contextus ex particula *quæ h. l. adversativa est, per sed explicanda Marc. 14. 56.* Nam confert Apostolo lumen Tabo reum in transfiguratione Christi, cujus Sectator fuerat, cum lumine Scri-

Scripturæ S. illud oculare erat. v. 16. audibile 17. 18.
Tamen pergit: Sed habemus firmiorem propheti-
cum sermonem q. d. si forte à falsis prophetis hodie
aliis visionibus turbemini, firmior vobis semper esse
debet Scriptura prophetica, & quæ ipsius Dei voce
confirmata est, Apostolica.

Argumentor.

Quodcunque verbum Apostolus ob claritatem & il-
luminacionem ipsimet transfigurationi Christi
præfert, & Christianis commendat, ab illo Eccle-
sia abducenda non est ad novas visiones

Atqui Apostolus verbum scriptum ob claritatem
& illuminacionem ipsimet præfert Christi transfi-
gurationi & Christianis commendat E.

Ab illo Ecclesia abducenda non est ad novas vi-
siones.

Porro.

Visiones, quæ post tempora Apostolorum jacti-
tantur, aut sunt contra ant præter, aut secun-
dum Scripturam. Si contra, aut præter scri-
pturam, sunt anathema. Gal. 1.8. Sivero secundum
Scripturam, sunt super vacaneæ, nec ullig usq, quia
omne Dei consilium nobis revelatum est Act. 20. 27.

Q. Revelatio nullo confirmari potest miraculo, il-
la nulla est,

Revelationes hodiernæ nullo miraculo confirmari
possunt E. Nullæ sunt.

Dicat forsân de nova hac visione; quod con-
firmata fuerit miraculo, ideo quod Princeps mortuus

C

fit

fit ꝛ toto die homines moriuntur secundum naturam, ergo id nullum est miraculum. Sed ais, stato tempore obiit princeps. ꝛ ne sic quidem miraculum, quia Diabolus ceu experientissimus physicus ex naturali constitutione corporis illustrissimi Principis colligere potuit, ni Deus extraordinariè, ut Hiskia, vitæ terminum prolongaret, Principem esse moriturum. Confer de visionistarum miraculis Deut. 13. v. 1. 2. 3. 2. Thesl. 2. 9.

ꝛ. Ex Ebr. 1. v. 1. 2. collato cap. 2. 1. Ex quo sic colligo.

Q. Omnibus revelationum vicibus & intervallis ultimum revelationis immediatæ intervallum adjecit in filio incarnato, ille revelationes immediatas finivit, & obsignavit, Consequenter nullæ iterum expectandæ,

Atqui Deus omnibus revelationum vicibus & intervallis ultimum revelationis immediatæ intervallum adjecit in filio incarnato E.

Revelationes immediatas finivit & obsignavit, nec ullæ iterum expectandæ.

Addo.

Si Deus omnia nobis largitus est, quæ ad vitam & pietatem pertinent, frustra novæ visiones jactitantur. Atqui prius est 2. Petr. 1. 3. E.

Ex quibus satis elucet, nullas visiones esse statuendas, ac concessio hoc ipsa visio Harzgerod: corruet, quam fuisse diabolicam, ex propriis visceribus visionum paucis demonstraturi sumus.

Sec-

Sectio II.

§. 1. Ac primo quidem obtestor conscientiam Visionistæ, demonstret, num & materiale & formale visionum ex Christo apparente hauserit? & qui fieri potuit, ut ea tam firmiter in tanto, quem sensit, terrore memoria tenuerit, cum metus & tremor plerumque oblivionem pariant. Concludo ergo.

Aut visionista in visione aliquid omisit, aut addidit, utroque modo non erit divina si neutrum facit, probet, & miraculo confirmet, alias nulla est.

Q. Christus non promisit, illud non præstat, Visionem sui ocularem, præter eam, quæ in iudicio extremo futura est non promisit E.

§. 2. Sed Visiones ordine lustrabo, primam sensit. d. 22. Nov. 1709. noctu inter 2. & 3. horam, ubi lucidum ignem vidisse se somniat. Miror Diabolum prima statim vice in aservo phaenomeno, igne scilicet, visionistam obfascinasse, ut ante hac Enthusiastas decepisse legitur.

Plato in epist: ad Dion: ad *Lumen refulgens* provocat. Plotinus, cui Enthusiasmus *πᾶθος δαιμόνιον* audit, *Lumen circumfulgens* crepat. Enn. v. l. i. Jamblichius, quem Proclus *Σείον* vocat, *Lumina*, ait, à Diis in nos descendere c. 25. de Myster: Antiquis his Platonis, comitem se adjunxit Pico Mirandulano qui

qui in Apol. p. 118. operam se dedisse scribit, ut *ille veritatis fulgor*, cujus Plato meminit in epistolis, animo, quasi sol oriens ex alto clarius illucesceret. In Zoroastri oraculis c. 2. docetur: Dari quoddam intelligibile, idque *luce potenti circumdatum*, quod puro oculo posset percipi. Cardanus in vitâ fatetur p. 6. Se à pueris visiones habuisse, p. 127. apparere sibi splendorem s. *Lucidum circumlum*, multa se ex splendore didicisse p. 191. Genium sibi affuisse p. 187. Helmontius Senior à Raphæle se informatum ait in init. phys. inaud. p. 222. Helmontius junior *Lucem se penetrantem* & alia vidisse narrat. Burrhus teste Bartholino l. 3. de luce Anim. c. 8. *Lucidas species* oculis suis obverfari jactabat, quibus præfagia de futuris caperet. Pseudo-Hermes l. 2. Pœmandri p. f. mentem sibi cœlestem apparuisse, ignemque in anima sua lumen excitasse. vid. Loescher. c. 1. Ex quibus visionista videat, cujus furfuris *Lucidus ignis* fuerit vision. 1. 2.

Q Visio oraculis Scripturæ & visionibus tecte ab-
uritur, illa est Diabolica.

Visio Hartzgerodana hoc facit E.

Major est firma. Minorem ex visionibus, quia ad palliandum mendacium in abusum vertitur Samuelis trinavice facta revelatio Dei, Sam. 3. præclarissima Oracula ex Scriptura congeruntur, Esa. 38. 5. Apoc. 1. 10. 13. 14. ter. 15. 19. Act. 22. 9. cetera.

Istae elocutiones tamen visionem minime divinam faciunt, Diabolus enim simia Dei est, & facile Scripturam adducere potest, ut notum.

Q. Vi

Q. Visio justum Patriæ patrem calumniatur, illa Diabolica est,

Visio Hartzgerodana justum Patriæ Patrem calumnia-
ture.

Ratio majoris inde patescit, quia Magistratus s. Prin-
ceps Dei loco est, ideoque convitiis proscindendus
minime Exod. 22. 28. Act. 23. 5. Rom. 12. 1. 2.

Secus igitur, qui facit, aut ipse est

Diabolus, aut à Diabolo ducitur. Quid
Visio de justissimo habet Principe? Sage deinen
[scopricè satis, cum Deus Principes suos semper
nominet Jel. 45. 1. sqq. Ps. 89. 21.] Fürsten / Ich ha-
be die Gewaltthätigkeiten / und Ungerechtigkeiten des
Landes gesehen / und die Thränen und Seuffzen der
Unschuldigen etc. Mendacia haec sunt, ac contestor
Visionistæ conscientiam, an non ipse primo audi-
tu pro mendaciis (nî plane omnia sunt ficta)
habuerit, dum meliora de justissimo Principe ipsi
nota fuerunt. Non hic laudes *Serenissimi Wilhelmi*
tangam, ne brevitatem, cui hic studeo, eas obnubi-
lem. Multa paucis: *Wilhelmus erat princeps consi-
matisimus, & compendium omnium virtutum, principe
dignarum, qui nihil mali peregit, nisi quod cito nimis à suis
abiit, & obiit.* Quod si Visionistæ aliud quid notum
erit, proferat, si quid habet. Ipse, dum viveret ad-
huc, justissimus Princeps ex Visionista postulavit,
dicens: Mit meinem wissen und willen wüßte ich nicht,
daß ich ein Kind beleidiget hätte / oder daß in meinem
Landte solten Ungerechtigkeiten vorgehen / wißt ihr was!

so sagets an. Cur quæso visionista ita interrogatus magis mutus fuit, quam piscis? damnatus certe à conscientia. Diaboli hic fucus est, qui famam iusti principis post mortem denigrare voluit, cuius instrumentum visionista fuit.

Ac sit, quod tamen non concedo, visionistam verum quid vidisse, suffecisset, ista ad Principem detulisse, secumque cetera reticuisse, ne fama iusti Principis læderetur propalando, ecclesiaeque scandalum pateretur.

Q. Visio se ipsam invertit, ita ut Visionista ipse nesciat, an verum quid videat, nec ne, illa pro divina non est habenda,

Visio Hartzgerodana se ipsam invertit ita, ut visionista ipse nesciat, an verum quid videat, nec ne E. Pro divina ea non est habenda.

Majorem nemo negabit, Deus enim quia verax est, vera agit. Minorem ex verbis visionistæ demonstro. Als ich nun davon erwachet / und NB. nicht recht fonte wissen / ob es wahr / oder / ob es mir im Schlaf so vorkommen etc. it. Er habe / nachdem er die Fühänge des Bettes zugezogen / das strahlende Feuer als weit entfernt gesehen / und gleichsam durch ein perspectiv. Potuisset visionista affinem suum, lecto decumbentem reddere experrectum, quo testem visionis habuisset, id etiam tremebundus fecisset, nisi falsa visione mundum illudere voluisset, & maxime iustissimum Principem, ferme agonizantem, reddere perturbatum.

§. 2. Contra secundam Visionem ita ratiocinor
Q. Visio Christo omniscientiam denegat, illa est Diabolica

visio Hartzgerod: id agit E.

Major iterum firma. minor patet ex verbis Visionistæ p. 5. Diese Stimme fragte mich / ob ich gethan / waß mir vor 8. Sagen wäre befohlen worden? Quasi vero Christus id ignorasset, Diabolus quaesivit, cui forsan ex singulari Dei constrictione ignotum mansit, quæ cum Principe ex visione prima locutus eras §. 3. Contra Terriam Visionem ita concludo:

Q. Visio verè est stolidà, illa non potest esse divina
Visio Hartzgerodana est verè stolidà. E.

Præmissæ probantur, quia verè stolidum, ideo, quia sine ratione fit sana, ne rationale quidem, multo minus divinum censendum. Hæc visio autem sat ridicule & stolide describitur. Als ich mich umsahe / stand hinter mir ein Mann / dessen Haare waren flammig / und eben / als wann lauter Feuer-Funcken wären drinnen gewesen / dessen Kleidung war weiß / roth / und blaulich / und eben / als wenn Flitter-Gold darhinter lege / die Schuh waren ganz weiß / es schimmerte aber auch Gold dadurch. etc.

Q. Visio hominem ad idololatriam seducit, illa est Diabolica

Visio Hartzgerodana visionistam ad idololatriam seducit E.

Majorem nemo negabit, Deus enim honorem & cultum adorationis sibi soli vendicat Esa. 42. 8. Minorem verba visionis confirmant. Als ich das hörte / erschraack ich / fiel nieder auf die Erde zu seinen Füßen p. 7. p. 8. Ich danckte diesen warhaftigen treuen Zeugen. Diabolum adoravit, si quem adoravit. Pudeat Pastorem talia de se ipso scribere, an ignorat, Diabolum mirum quantum anhelare ad orationis honorem? ut exem-

Zd 1950 QK

1018

☉ (24) ☉

exemplo Christi Matth. 4. 9. & B. Martini constat, ad quem, ut ex ejus vita notum est, lucidissimo corpore pervenit, & Christum se esse, fassus, stigmata etiam monstravit, ut adoraretur, Sed B. Martinus recusavit, quia nullibi Christus, se ita apparituro, promiserit.

Q. Visio Magistratum legitimum & justum declamat tyrannicum, illa divina non est. Visio Hartzg: Magistratum legitimum et justum declamat tyrannicum E.

Major supra est probata, Minor ex verbis p. 7. constat. Ich sage dir du wirst um meinet willen viel verfolgung leiden/denn es werden NB. die bösen Tyrannen (ergo etiam dantur Boni tyranni? vetustas vocabuli hic exulat.) wie die Schlangen auf dich los schiessen. Quibus verbis satis scabiose Magistratum tractat.

Q. Visio ipsius Visionistæ famam obfuscat, & munus tangit, illa ab ipso visionista recipienda ceu falsa & Diabolica.

Visio Hartzg: ipsius Visionistæ famam obfuscat, & munus tangit E. ab ipso ceu falsa & Diabolica rejicienda.

Major firma est, Omnia enim si perdas, famam servare memento, & pro gloria muneris deceptandum cum Paulo. Minister Ecclesiæ est os Christi, ut ex patribus notum, si igitur novâ visione Concionator admonetur, ut injustitiam reprehendat, inculcatur, ac si istud antea non fecerit, id etiam volunt verba p. 8. Ich gelobte ihm an von nun (ergo antea ejusmodi non fecit) mein Leben u. Wandel zu seiner Ehre und zu Beförderung meiner und meiner Zuhör: Seeligkeit [ergo antea eam non quæsivit, quod munus tangit] zu stellen.

Videat ex his visionista, quomodo Diabolus ipsum illuserit. ac de ceperit? consideret scandala, quæ visionib; dederit, & ut ad agnitionem veritatis perveniat, indaget, quid Paulus velit 2 Thes. 2. 10. u. dafür daß sie die Liebe zur Wahrheit nicht haben angenommen/ daß sie seelig würden / darüm wird ihnen Gott kräftige Irthümer senden, daß sie glauben der Lügen.

Deus convertat errantem, nosque servet in veritate, cujus amore ductus hæc scripsi, nec animus est, si revelationes ulterius defendantur, quicquam respondere, Nam istas legisse, erit refutasse.

ULB Halle
004 567 34X

3







B.I.G.

Farbkarte #13

Q.K. 134, 452 42

Ka
Z d
1950

HENRICI MATTHIÆ SPIELBERGII
Pastoris Edlaviens: ac Sieglizienf:

CONFUTATIO
ENTHUSIASMI
CRASSISSIMI,
ab Orco Revocati,

Per
DN. EMANUEL: PHILIPP:
PARIS
Diaconum Ecclesiae Ref: Hartzgerodanae
1710.

